

VETIS CLEMENTER. Nos tantum supremum Numen veneramus,
quò Fortuna à Vobis suas abstineat manus, nec in vos potentiam suam,
nisi eâ parte, quâ prosit, ostendat, ut favori vestro nihil accede-
re possit, nisi ut in nos sit perpetuus.

Tu verò ô Irenarcha DEUS, qui PACEM benigne lar-
gis, imperia sapienter condis, Respublicas potenter conservas, regna
juste exvertis, audi vota nostra, pacemq; confirma!

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec coeptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix parer,
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Sqvalebit arvis, subdita tectis face
Alius sepultas obruet gentes cinis.

Perhibet Seneca in Hercule fur. v. 361. Act. 2. Exclamamus
proinde cum Jeremiâ: eheu! gladii Jehovæ, usq; quò non es requietu-
rus? recipe te in vaginam tuam, quiesce & subsiste! Ah gladii Jehovæ
quiesce! largire Pacis Diribitor clementissime vel tandem postliminiò
quasi tranquillitatem ac Pacem quam si dederis omnia dederis. O quo-
ties speravimus illam, O quoties eandem habere ac omniam periculo
defuncti visi sumus! Sed frustra. Perinde atq; haud rarò serenitas de-
cipit & subita tranquillitas majoris sæpenumerò tempestatis est indi-
cium. Audi! O audi nos JEHOVA Benignissime cum primis
serva Sereniss. ac Potentiss. Principem ac Dominum,
Dominum JOHANNEM GEORGIUM Electorem
ac Septemvirum, PATREM PATRIÆ clementissi-
mum, cujus salus, salus nostra; defende eum cum totâ Familia
Saxonica illustrissimâ, ejusq; Eminentissimos CON-
SILIARIOS, totamq; AULAM tuâ imbue gratiâ ac be-
nedictione! Fove, tuere, custodi totum Electoratum, & im-
primis inclutam DRESDAM nostram, omnesq; in eâ &
Magistratum & subditos, & hoc cruditionis domiciliû
conserva in tui gloriam! Largire ut quicquid seculi rabie bellorumve
impotentia aut obsolevit contaminatum hætenus, aut penitus ever-
sum perijt, restauretur denuò ac reparetur. Effice ut in posterum et-
iam